



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus V. De Magistris &, ne aliquid exigatur pro Licentia docendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

rum prædiorum, ex quibus proveniunt, locationem ad modicum tempus Gregorianarum Decretalium antiquo Jure permissam, patet ex *c. Ad audientiam 9. de Reb. Eccles. alien. & traditis c. Vestra 2. de Locato, & ad hanc Rubric. n. 6.*

5. Minus urget paritas cum jurisdictionis remissione; cum etiam pro ista, sive pro indulta exemptionis privilegio, pretium exigi aut accipi non possit, & contrarium perperam desumat ex *c. Constitutus cit.* quia in istius *c.* casu pensio sive census annuus, non tanquam pretium & ætimitatio remissæ jurisdictionis, sed in istius, sive præteritæ subjectionis recognitionem & concessæ libertatis signum est reservatus, juxta *c. Recepimus 8. de Privileg.* Glossa in *c. Constitutus cit. V. Recompensatio in fine, Panormit. in c. cit. n. 17. & Suarez de Simonia cap. 24. n. 37.*

Simili modo Vicarii pecuniam sive salaria non recipiunt tanquam pretium sive compensationem exercitii jurisdictionis, sed ut stipendium congruæ sibi-que debitæ sustentationis, *can. Charita-*

tem, 12. q. 2. c. Pervenit 28. de Appellat. & c. De Revertibus 3. de Clerico egrot. ne cogantur propriis stipendiis militare contra textum c. Cum secundum 16. de Præb. & dignit. & Apostolum 1. Corinth. cap. 9. v. 7. Gonzalez in c. cit. n. 5.

6. Difficilior in speciem est praxis Curia Apostolica. Sed in speciem duntaxat, quia in Clericatu Camera & Auditorum munere discrimen faciendum est inter jurisdictionem spiritualement & emolumentum temporale: quorum, licet absque Simonia vitio vendi nequeat prior: neque etiam posterius, quatenus priori sive jurisdictioni est conjunctum, *can. Si quis objecerit, 1. q. 3.* vendi tamen à Papa istud potest, secundum se & nudè spectatum, sive quatenus ab illa est præcisum, *arg. c. fin.* sicut in beneficio sine labe vendi possent fructus: & hos etiam percipiendi jus, si Apostolicâ (non inferiori) autoritate à spirituali officio separatum esset, Panormit. in *c. cit. n. 2. Angelus V. Simonia 2. n. 2. cit. Suarez cap. 20. num. 6. & Palao tract. 17. disp. 3. p. 12. n. 7.*



TITVLVS V.

De Magistris & ne aliquid exigatur pro Licentia docendi,

Rubrica inherere & de Magistris seu Doctoribus, eorumque creatione scitu utiliora præmittere juvat resolutioni, ad præcedentem Rubricam *pr.* de Licentia docendi propositæ dubitationis.

ARTICVLVS I.

De Gradibus seu honoribus Literariis.

SUMMA.

SUMMARIUM.

1. Tres ordines sunt Graduatorum :
2. Baccalanrei sive Baccalaris,
3. Licentiati,
4. Et Magistri seu Doctores.
5. Eos creandi potestas ex Sacris penes summum Pontificem solum :
6. Ex Prophanis disciplinis etiam penes Imperatorem &c. residet :
7. Et communicata est alia, preferim Academicis :
8. In quibus Gradu alieni à ejuurvis Facultatis Doctores,
9. Alibi ab aliis conferuntur :
10. Recepto juramentò de observanda Clement. 2. hãc Rubr.
11. Et præviò examine :
12. Non, ut aliquando solet, umbratili,
13. Sed seriò ac rigorosò.
14. Graviter peccaminosa est promotio indigni.
15. Jura tamen Doctorum non faciliè alieni, tanquam indigno,
16. Neque etiam neganda sunt Doctores Bullatis :
17. Licet hi ad beneficia, Doctoribus conferenda, non admittantur.
18. Doctorum nomine veniunt & Jure conferuntur Licentiati :
19. Non tamen in odiosis.
20. Inter Doctores Theologi Juristas :
21. Hi Medicos, & isti Philosophos præcedunt :
22. Nisi administratio, merita, consuetudo,
23. Vel Graduum pluralitas aliud exigat.

Literatorum, sacræ alicujus aut prophanæ Disciplinæ Gradu, sive testimonio & honore publicò oratorum, tres ordines sunt. Pri-

um, eumque infimum Baccalaurei : alterum Licentiati : postremum ac supremum Magistri seu Doctores constituunt : qui Gradus, licet gradatim, non ubique tamen omnes recipi, & supremi Gradus Literarii collationi præmitti solent.

Baccalaurei sive, ut alicubi vocantur, Baccalarii aut Battalarii, unde nomen acceperint, anceps concertatio est; quidam enim cum Beato Rhenano id à *Baccillis*, quorum traditione Gradum olim consequebantur : vel à *Battulo*, veteribus Gallis prælium denotante, id ortum volunt cum Pontano *Vol. 1. Progymnas. 83.* Alii frequentiori & verisimiliori calculò id ipsis inditum ajunt à *Bacca Lauri*, sive istius frondibus jam bacatis ac frugiferis, cum Alciato in *l. Cui præcipua 57. ff. de V. S.* vel à Gallica voce *Baccelsier* militem tironem, aut inferioris ordinis nobilem significante, cum *Besoldo de Studios. cap. 6.* & *Dufresne Glossar. V. Baccalaris.* Undecunque autem proflexerit appellatio, Baccalaureorum nomine hodie exaudimus eos, qui sui in Scientia profectus primum testimonium publicum sunt consecuti: quod temporum & locorum varietate variè, in florentissima nostra Universitate sub secundi initium, aut finem primi anni Artium ac Philosophiæ : Theologiæ autem studiosis sub finem secundi, aut tertii anni initium præviò examine decerni, & illis publicè, his verò privatim exhiberi conluevit.

Licentiatorum appellatione veniunt, quibus supremum in Scientia aliqua honorem, sive Magisterii vel Doctoratus gradum ejusque insignia publicè capeffendi collata est Licentia seu facultas, *Decius in c. Eam te 7. de Rescript. n. 21.* à qua & verbo *μῆλλον*, futurum denotante, à *Budæo Meliodidascali* designati, seu quasi Doctores ab aliis nuncupantur, *cit. Besold. cap.*

fold. cap. 8. & Iterum de Grad. Acad. cap. 4. n. 10. Concedi Licentia nemini solet, nisi alicujus Scientiæ prælectiones seu exercitationes frequentandò expleverit præscriptum tempus, & per experimenta omnia summo eo honore dignus iudicatus atque, ut Zenonis Imp. de Armata militia loquentis, phrasi utar, *Sacram probatoriam fuerit consecutus*, l. *Neminem* 17. C. de Re milit. DD. cit. & Hermes *Fascicul. Jur. Publ. cap. 33. n. 155.*

4. Magistri nomen hoc loco non accipitur pro omni eo, cui summa rerum cura incumbit, ut l. *Cui præcipua est*. quò sensu militum, peditum, equitumve, qui ipsis præest, Magister dicitur, l. 1. ff. de Offic. Magistr. milit. sed pro eo, qui, Liberalium artium & Philoſophiæ curriculo confectò, supremà ex iis Laureâ solenni ritu est condecoratus; & vulgi usu à Doctore, at non ubique, distinguitur; cum in Parisiensi, Salmantina, Lovaniensi & aliis Studiorum generalium Universitatibus supremò in Theologica scientia honore ornati, Magistri vocentur, teste cit. Besoldo cap. 7. & Mendo de Jure Acad. Lib. 1. n. 292. ut propterea aliqui in sacra hac Scientia & in Artibus ac Philoſophia, Magistrorum: Doctorum autem nomine intelligant in Jure vel Medicina supremum gradum adeptos, Glossa in *Clement. 2. V. Doctoratus*: licet, vocis notatione spectatà, in quavis disciplina excellentibus & honore illò conspicuis accommodetur; & præter id, quod ex vocum derivatione desumitur, inter Magistrum & Doctorem non appareat discrimen, ut eruditè observat Zœsius in l. *Quidquid 99. ff. de V. O. n. 6.*

Quantumvis autem hoc ita sit, Germaniæ tamen nostræ Academiarum usus Doctores secernit à Magistris; & illo- rum nomine Philoſophis relicto, Docto-

rum magis honorificâ appellatione indifferenter salutatur quoscumque, à Facultate seu Collegio Academico &c. ex Scientiis reliquis supremi Gradus honorem & Doctorea insignia in quavis, Apostolicâ vel Imperiali Regali auctoritate erectâ, vel confirmatâ Academiâ consecutos.

Porro Gradus Literarios decernendi conferendique potestatem ex sacra Theologiâ & Juris Canonici Scientiis penes summum Pontificem: ex Jurisprudentia autem Civili, arte Medica & disciplina Philoſophica etiam penes Imperatorem aliosque Principes, superiorem in temporalibus non recognoscentes, resistere, nemo facile in dubium vocat; cum eam, quâ alii pollent, ab ipsis profuixisse, sit exploratum: nec desiderantur exempla Graduum illorum, ab ipsis collatorum; sic enim Fridericum Staphilum, cui, quòd esset uxoratus, Ingolstadiana nostra aliâque Germaniæ Universitates ex utraque sacra Scientia Doctorea insignia denegârunt, à Pio IV. summo Pontifice, transmissò & per Ecclesiæ Metropolitanæ Salisburgensis Antistitem ejus capiti impositò pileò rubrò, Doctorem renuntiatum; ab Imp. Lothario II. Studiorum Civilium restauratore complures Doctores solenni ritu inauguratos: eodémque honore Petsum, quem Legationi Turcicæ destinârat, à Rudolpho II. Imp. condecoratum, præter alios testes sunt laudati Besold. cap. 9. & Mendo Lib. 1. n. 73. & à n. 360. Ratio autem, cur sacro-sanctæ Theologiæ & sacrorum Canonum Doctores creare Apostolica potius, quàm Imperialis, Regiæ, aut alterius Secularis potestatis sit, ea est; quòd Divini & Ecclesiastici Juris dogmata, sanctiones ac decreta: & quam Theologiæ & Juris Canonici Professores tradunt, sacra utriusque disciplina ex institutione ac sine

ac sine suo sit spiritualis, & ad supernaturalia, Dei scilicet cultum & Beatorum Coelitem venerationem, Fidei & Justitiae Christianae studium in fidelibus conservandum augendumque & animarum salutem ordinetur: spirituales autem & ad finem supernaturalem ordinatas disciplinas moderari, in iis profectum examinare & doctrinam approbare, spiritualis & Ecclesiasticae sit potestatis, *can. Ita dominus 3. dist. 19. can. In novo 2. dist. 21. c. Ecclesia 10. de Constitut. c. Solita 6. de Majorit. & Obed. c. Decernimus 2. de Judiciis &c.*

7. Eosdem Gradus Literarios conferendi potestatem, licet supremi illi utriusque Reipublicae moderatores communicare soleant Comitibus Palatinis, & aliis, cum personis, tum collegiis, eam tamen praecipue & perpetuo concedere & transferre consueverunt in Studiorum generalium Universitates; quod, cum a Doctoribus, ex quibus collegia constant, omnium, Naturalis ac Positivi, Divini Humanique Juris dogmatum, Regularum & decretorum explicatio ex officio tradatur, & scholarium profectus per assiduam exercitationum, experimenta atque examina exploretur, periculum non sit; ne graduum illorum collatione praestitum Scientiae testimonium publicum & destinatus honor immeritis & indignis facile obtingat.

8. Quantumvis autem in Universitatibus illis Literariorum Graduum candidati examinari & pro eorum receptione approbari soleant a Doctoribus, qui moderantur cathedras Scientiarum, ex quibus Gradus petuntur ac decernuntur, ipsa tamen istorum collatio non ubique ab iisdem fieri: & in Germaniae quidem nostrae Academicis Catholicis eos capeffendi Licentiam concedit cujusvis Procancellarius, & alicubi Cancellarius ipse: a

quo in Dilingana utriusque Juris Doctores publice renunciatos, memini, licet ipse Imperialis Juris Doctor non esset. Eiusdem & cujuscunque alterius Doctoratus supremos gradus in Bononiensi majoris Ecclesiae Archidiaconus: in Parisina & Cadomeni utriusque Cancellarius, teste Lenauer. *de Privileg. Doct. p. 1. n. 4.* & in Salmantina Universitate Scholasticus seu Magister Scholae solus confert testibus Gonzalez *in c. Quia nonnullis 4. hac Rubr. n. 5.* & Mendo *cit. Lib. 1. n. 171.* quantumvis iste solius sacrae Theologiae, vel Juris Canonici tantum sit Doctor, ut idem monet *n. 169.* Ratio; cur in promotore is, quem confert, Gradus non exigatur, est partim; quod Gradus collatione candidatus pro eo non primum approbetur: sed Doctorum examine ac iudicio approbatus Doctor solummodo declaretur & insignium traditione quodammodo investiat, Faber *in l. Tanta 2. C. de Vet. Jure enucl. & Lenauer. cit. n. 4.* partim vero; quod, cum Gradus & honores literarios ex sacris penes summum Pontificem, & ex prophanis Scientiis conferendi potestas penes Secularem etiam, praecipue Principem, resideat, ab istis in alios quoslibet per viam communicationis valeat transferri, Mendo *cit. n. 171.*

10. A quocunque autem, & ex quacunque Scientia, Magisterii seu Doctoratus gradus & insignia conferantur, Clemens V. *c. Quam sit 2.* sub pena semestralis suspensionis ab illorum collatione, candidatis ante promotionem deferri praecipit juramentum: quod in suae inaugurationis solennitatem ultra tria millia Turonensium argenteorum, sive ducentos quinquaginta aureos, secundum Glossam *in Clement. cit. Casu,* se non impensuros, promittant: eosque insuper efficaci adhortatione admoneri, ut suo statui convenien-

convenientem, & infra summam illam, sibi præfigendam taxam non excedant. Cujus Clementinæ Constitutionis usus, licet in quibusdam abolutus, in aliis nunquam introductus fuerit, in Alma tamen Universitate nostra hodie quoque viget. Ratio autem id statuendi fuit partim; quòd impensà in ejusmodi inaugurationis solennitatem splendorémque sæpe totà patrimonii substantià, multi redigerentur ad inopiam, & ære alieno gravarentur: plures autem, quòd expensas illas subire vel non vellent, vel non valerent, ab Academicorum Graduum receptione & sacrae prophanæque Reipublicæ salutarium disciplinarum studio retraherentur, Vivianus in *Clementinæ* partim verò; quòd indignum videretur, scientiæ defectum pecunià sive, ut Glossa *V. Excedunt* & Panormit. *n. 8.* loquuntur, imperfectum Scientiæ suppleri perfectione expensarum.

11. Dubium nunc primò est de qualitate examinis candidatorum, ad Gradus illos aspirantium. *De qualitate*, inquam; non *De necessitate*; quòd sine illo, eive alicubi æquivalente Positionum, ex præcipuis alicujus disciplinæ partibus selectarum, publica & cum doctrinæ laude suscepta promagnatione, & similibus doctrinæ experimentis, Magisterii præsertim & Doctoratùs Licentiæque gradus conferri non posse, doceamur usu, & literis Apostolicis, atque Imperialibus vel Regiis, quibus gradus & honores literarios conferendi potestas generalium Studiorum Universitatibus & aliis communicatur.

12. Qualitatem autem maximè dubiam reddunt occurrentes quandoque, tam exilis scientiæ Licentiati, Doctores & Magistri; ut de ipsorum examine, si aliunde non constaret, jure ambigi vel, eos ex primis elementis aut in speciem duna-

taxat examinatos, credi possit; eùm in nulla Rubrica magis versati appareant, quàm in iis, quæ *de Edendo vel de Juris & Facti Ignorantia* sunt, ut *in l. 1. ff. de Eo, cui mand.* Purpuratus ait *n. 455.* Cujusmodi Academicarum probris accomodati & triti sunt versiculi,

In Codice modicè:

In Digestis nihil potestis:

In Instituta estis similes brutis:

In Novellis a fellis.

Et tamen creamini Doctores.

O Tempora! O Mores!

Verùm hi tales, & qui ipsos sine prævio doctrinæ experimento Doctoris insignibus condecorare damnabili temeritate præsumunt, legitimæ justæque Literariorum Graduum & honorum collationi doctrinæ examen præmitti, necesse non esse: aut, quod præmittitur, perfunctorium aut umbratile duntaxat esse posse, sibi perperam persuadent; eùm Academicis scholares solum habiles & idoneos, rigoroso præcedente examine, ut loquitur Sixtus IV. in *Generalis Studii nostri confirmatoria Constitutione*, quæ incipit *In eminenti, Calend. Augusti 1477.* edita & ab Hundo *Metropol. Salisburg. Tom. 2. fol. 420. refertur:* & Comitibus etiam Palatinis non, nisi prævio diligenti & rigoroso examine probatos, ut, quàm ii constituuntur, solennis formula habet, ad Gradus Literarios admittendi, & istorum insignis ornandi concessa sit facultas; ut ad eò commissionis ac potestatis suæ limites egrediantur Comites Palatini & alii, qui à sede Apostolica vel Imperiali Regiæ Curia acceptæ potestatis prætextu, de Scientiæ experimentis parùm aut nihil solliciti, personis antè ignotis aut nunquam visis, ad simplices vel nummis tantùm armatas preces, Doctoratùs insignia statim conferunt, vel diploma-

diplomata transmittunt. Quorum im-
probritatem aperte redarguit & rigorosi
examinis qualitatem exposcit publica ne-
cessitas; cum Reipublicæ utriusque plu-
rimùm interfit, Literariis præsertim Do-
ctoratûs ac Licentiæ gradibus & honori-
bus non nisi viros doctrinâ excellentes
condecorari; quia gradus illi ex sua in-
stitutione excellentis doctrinæ publicum
sunt testimonium: quod, si falsi vitiò
laboret, in non leve discrimen adducit
Reipublicam; quia istius Magistratus,
eò delusi, facillè inducuntur, ut Fidei
ac Religionis negotia, Ecclesiarum ani-
marumque regimen, institutionem ju-
ventutis, civium gubernationē, dubiarum
quæstionû litiumque cognitionē decisio-
nemque, gestionem munerâ, rerumque pu-
blicarum pertractationem committant vi-
ris, Divinarum humanarumque rerum
scientiâ, ad ea necessariâ, non instru-
ctis: & salutem etiam corporalem ipsam-
que vitâ hominibus, ejus regendæ imperi-
tis in publicam perniciem credant. Unde

14. Inferitur, lethalis culpæ reatum
contrahi ab iis, qui, Apostolicis aut Im-
perialibus rescriptis sibi indultâ faculta-
te perniciosè abutendò, Gradus & hono-
res Literarios sine ulla doctrinæ investi-
gatione, vel personis, quas necessariâ sci-
entiâ destitutas & indignas comperere,
conferre ac decernere præsumunt; cum
in re gravissima turpiter illudant Reipu-
blicæ, eamque honorum illorum teme-
rariâ profusione prostitutioneque gravi-
bus damnis ac periculis exponant: quod
utique gravi culpâ non vacat, *citt. Le-
naud. p. 1. n. 55. & Mendo Lib. 2. n. 365.*

15. Dubium secundò est, an Doctorum
privilegia competant indebitè promotis.
Negant id non pauci, eâ ducti ratione;
quod, cessante privilegii causâ, privi-
legium cesset, *c. Cum cessante 60. de Ap-
pellat. Quæ Opinio, licet æquitati ad-*

modùm consentanea sit, in praxi tamen
magnopere cavendum est; ne commu-
nes illorum prærogativæ & privilegia fa-
cillè denegentur ei, cui ab aliquo Colle-
gio Academico, vel Comite etiam Pa-
latino, Doctorea dignitas est concessa;
nisi ei Principali aliâve legitimâ autho-
ritate malè obtentæ dignitatis nomen sit
ablatum.

Dubium tertio est de Doctoribus, 16.
ut vocamus, Bullatis, hoc est, gradum
Doctorem, non in Studiorum genera-
lium Universitate, sed rescriptò Princi-
pis, vel à Comite Palatino adeptis. Quos
iustò aliqui benigniùs, Academicis præfe-
rendò: alii inclementiùs habent, eos,
tanquam bullas inflatas ventò & doctri-
næ vacuas, penitus reprobandò. Me-
liùs alii ipsis, quando à summo Princi-
pe Ecclesiastico vel Seculari, præviò A-
cademicorum aliorumve Doctorum exa-
mine, gradu illò judicati sunt digni, in-
ter Doctores excellentiam adstruunt.
Non etiam, quando à Comite Palatino
aliòve Apostolici vel Imperialis privilegii
prætextu sunt renuntiaci, præsertim si à
talibus gradum adepti sint sine ullo vel
serio experimento Scientiæ, quæ Litera-
rii gradus omnis est fundamentum. Quin
à talibus adepti gradum, etiamsi doctri-
nâ excellent, ad Literariorum Universi-
tatum cathedras non facillè admittuntur.
Imò Pius V. *Constitutione*, quæ incipit
Quamvis, 1568. editâ ad Doctoratûs,
Magisterii vel Licentiæ gradus à Co-
mitibus Palatinis & aliis, prætextu
facultatum à sede Apostolica sibi in-
dultarum, promotos ullâ ejusmodi gra-
dûs prærogativâ, dignitates cæteraque
beneficia Ecclesiastica concernente, no-
luit gaudere. Quâ in re Beatus Pius
inhæsit vestigiis S. Synodi Tridentinæ,
exigentis; ut ad dignitates & beneficia il-
la assumantur, qui in Universitate Stu-
diorum

diorum Magistri vel Doctores aut Licentiatii in sacra Theologia vel Jure Canonico merito sunt promoti, *Sess. 22. cap. 2. de Reformat.*

18. Dubium quartò est, an Licentiatii gaudeant juribus ac Privilegiis Doctorum. Qua in re magna dissensio & in utramque partem non leves sunt rationes: & his quidem Licentiatos non gaudere, docet ipsa solennitas inaugurationis: quã demum Licentiatò, cum appellatione insignia Doctorea recipienti, à Promotore privilegia illa tribuuntur, non obscuro argumento, eã Licentiatii ante inaugurationem non competitivisse. Cujus etiam illationis contrarium non levis momenti ratio suadet; quia jura & privilegia illa Doctoribus non competunt ratione solennitatis adhibitæ in promotione: sed ratione excellentis & legitime approbatæ doctrinæ; istius autem excellentia manifestata per examina, & ipsã Licentiæ concessione legitime approbata jam fuit; cum rigorosò examine perfuncti jam sint: & conspirantibus Doctorum calculis approbata doctrina inaugurationis solennitate nec crescat, nec magis reluceat, hòc ipsò; quòd ista absque novo scientiæ experimento peragatur. Hujus rationis vi perlusati *cit.* Alciatus in *l. Cui præcipua cit.* Lenauer *p. 4. n. 11.* Belfold, *cap. 8.* Hermes *cap. 33. n. 155.* & Mendo *Lib. 1. n. 133.* in materia favorabili & causis ac negotiis omnibus, Doctorem simpliciter & absque solennis promotionis mentione exigentibus, Licentiatum admittunt, eumq; Doctorum jure censi ac privilegiis gaudere, docent; ut potentia actui proxima pro ipso actu reputetur, *arg. l. Filius familias 43. de Testam. milit.* & sicut hòc textu proximè accingendus pro accincto, sic Licentiatius, tanquam proximè doctorandus, habeatur pro Doctore, ex communi loquendi usu; qui

appellationem hanc illi sine falsi crimine & mendacio adstruit, Jason in *l. Quamvis 2. C. de Inoffic. testam.* ex mente etiam S. Synodi Tridentinæ Licentiatos Doctoribus æquiparantis *cap. 2. cit. Sess. 23. cap. 18. & Sess. 24. cap. 8. 12. 16. & 18. de Reformat.*

Dixi, *In favorabilibus;* ut ad dignitates, beneficia & officia Ecclesiastica, ad Consiliarium, Assessorum, Advocatorum, Procuratorum & similia munera Doctorem, non expressã promotionis qualitate, exposcentia admittantur: non etiam, ut exclusi Licentiatii censeantur, si alicubi, ut Hamburgi, à Senatu excludantur Doctores; quia horum nomine illi non veniunt in odiosis, *Hermes l. cit. & Mendo n. 332.*

Dubium quintò est de Doctorum Ordine: cujus, sive itionis ac sessionis in congressibus, & in senatu suffragationis prærogativa plurimùm pendet à consuetudine; ut proinde in præcedendi jure tuendus sit is, cui hoc diuturni usûs observantia stabilivit, *arg. c. fin. de Consuet. & l. De quibus 32. ff. de LL.* Baldus in *c. Cum olim 6. de Consuet.* & Menochius *Consil. 51. n. 47.* Ista autem Ordinis prærogativam inter DD. passim tribuit Theologis, & ab his proximum locum Jurium Doctoribus, atque hos inter Canonistæ ante Legistas defert: non tamen sine ambitiosa concertatione Medicorum, secundum locum sibi deposcentium, sed passim obtinentium tertium, & præcedentium Philosophos: qui cum Liberalium artium Professoribus Doctorum ordinem claudunt, *cit.* Lenauer *p. 3. n. 1.* & 2. Cassan. *Catalog. Gloria mundi p. 10.* & Hermes *cap. cit. à n. 144.* Quã verò ratione usu constitutus hic ordo reguletur, non satis est exploratum. Verisimilius, qui eum introduxere, in singularum disciplinarum objectum, finemque, ne-

que, necessitatem & utilitatem oculos habuere intentos: & quò earum aliqua præstantius objectum ac finem habet: quò magis necessaria, aut ad utriusque sacræ vel prophanæ Reipublicæ commu- ne bonum ac felicitatem stabilendam uti- lis esse visa est, eam prætulere aliis, & digniori locò ejus cultores ac Doctores constituerunt.

22. Duo tamen hòc locò probè notanda sunt. Primum est, inferioris gradùs Doctorem ei, qui superiori conspicuus est, non rarò præferri ratione ejus, quod sustinet, muneris vel administrationis, quam gerit, Gothofred. p. 1. de *Jure præced.* cap. 3. §. 21. Menoch. *Consil.* 902. n. 65. & Pignatell. *Tom. 5. Consult.* 12. n. 33. aliquando ratione singularis excel- leantiæ, doctrinæ, experientiæque labo- rum ac meritorum, Pignat. *ibid.* à n. 30. & aliquando ex consuetudine aliòve ju- re speciali: vi cujus in Univerfitate Sal- mantina inter sacræ Theologiæ & utrius- que Juris Doctores non tam Scientiæ di- gnitas, quàm antiquitas gradùs seu promo- tionis attenditur; ut in itu, sefsuque honoratior locus, & vox prior in suf- fragatione deferatur ei, qui inaugura- tione Doctorea alterum antecessit, teste Mendo *Lib. 1. n. 300.*

23. Alterum est, Doctorem duobus vel pluribus gradibus ornatum potiorum esse eò; qui ex illis unum duntaxat habet, ut Juris Canonici solius Doctori is, qui istius honoris gradum ex utroque Jure est consecutus: & huic, imò Doctori Theo- logo præferatur, qui ex utroque, vel altero Jure simul & sacra Theologica Scientia Doctorea insignia accepit, Felinus in *Rubric. de Majorit.* n. 3. Lenaud. *cit.* n. 1. Bordonus de *Profess.* cap. 5. n. 59. & Pellizar. *Manual. Tract. 8. cap. 6. n. 217.* Ratio est; quia geminà aut plu- ribus dignitatibus ornatus, cæteris pari-

bus, præfertur ei, qui ex illis unà tan- tum conspicuus est, ut cum Baldo in *l. Sed & milites 8. pr. ff. de Excusat. tut.* Navarrus *Consil. 1. de Majorit.* n. 6. Tiraquell. de *Nobilit.* cap. 5. n. 8. & aliis Regulæ instar tradunt Gothofred. p. 1. de *Jure præced.* cap. 3. §. 27. & Menoch. *cit.* n. 65. ex hac ratione, Sanguinis simul & gradùs Literarii ratione Nobilem præfer- rentes ei, qui huic, vel illi soli nobilitatem in acceptis refert.

Hinc tamen legitime non inferes, Legû simul & Medicinæ, vel istius ac Philoso- phiæ Doctorem Theologo præferendû; cum enim graduum illorum singuli Theo- logicò inferiores sint, istò condecoratum præcedendi jus fundare non possunt; quia pluribus gradibus ornatus, unum duntaxat habenti, non præfertur: nisi plu- rimum, quos habet, unus dignitate major vel saltem æqualis sit gradui, quem al- ter solùm accepit, *cit.* Navarrus n. 7. & 15. & Menoch. n. 69.

ARTICULUS II.

De Magistro, præfer- tim Theologo, & Præbenda Theologi.

S U M M A R I U M.

24. Pro clericorum institutione Gram- maticæ:
25. Et, si potest, etiam Theologia Ma- gister est constituendus:
26. Quorum illi stipendium assignan- dum:
27. Isti conferenda est præbenda Theo- logicali:
28. Cujus etiam Canonista capax est.

K 2

29. Do-

29. *Docendi causâ absens percipit suorum beneficiorum fructus :*
 30. *Non etiam distributiones.*
 31. *Eòdem privilegio etiam Scholares ad quinquennium gaudent.*

24. **N**E, Ecclesias ad Divinorum administrationem ceterasque functiones sacras idoneis ministris destitui, facile contingat, prisci illarum Rectores pro juventutis in bonis artibus, & clericorum in sacris disciplinis institutione in Ecclesiis ac Monasteriis scholas excitârunt, ut eruditè ostendit Gonzalez in *c. Quia nonnulli 4. n. 4.* eòdemque fine sub Alexandro & Innocentio utroque ejus nominis III. celebrati Generalis Concilii Lateranensis Patres saluberrimè constituerunt; ut in quavis Cathedrali: & si facultates permitterent, etiam in Collegiata Ecclesia esset idoneus Magister, qui clericos atque alios etiam scholares pauperes, Grammatices præceptis gratis erudiret. In Metropolitanis autem, præter eum, etiam Magister Theologus à Prælato cum consentu Capituli sui deputaretur: qui sacerdotes & alios in Sacra pagina doceat, & in his præferim informet, quæ ad curam animarum spectant, *c. 1. & c. Quia nonnulli 4.*

Lateranensi, cum quadam tamen variatione, inhæsit S. Synodus Tridentina & Sess. 5. cap. 1. de Reformat. decrevit; ut in quavis Ecclesia, non solum Metropolitana, sed Cathedrali quoque & Collegiata, in insigni oppido existente, Theologus: & si reddituum tenuitas hoc non permitteret, in ejus defectum saltem Grammaticus à Prælato, cum Capituli sui, non consensu, sed consilio constitueretur, Fagnanus in *c. Quia cit. n. 16. & 21.* Præterea in Monasteriis & conventibus Regularium, in quibus

commodè potest, S. Scripturæ vel Theologiæ lectionem voluit haberi, *cap. 1. cit. V. In monasteriis*, junctâ declaratione S. Congreg. Cardd. Interpp. apud *cit. Fagnan. n. 31.* Quodsi ea in re Abbates negligentes fuerint, ipsos ad ejusmodi lectionem instituendam opportunis mediis compellendi Episcopis, etiam tanquam sedis Apostolicæ delegatis, concessit potestatem, Franc. Leo p. 2. *Theaur. Fori Eccles. cap. 2. n. 59.* Piaficus p. 2. *Prax. Episc. cap. 3. n. 41.* & Barbosa de *Offic. Episc. alleg. 56. n. 16.*

Ejusmodi autem Magistro, ut congrua vitæ subsidia non deessent, Lateranensis antiquò unius præbendæ redditus erant assignandi, *c. Quia nonnulli cit. V. Assignetur*; novissimò autem Jure Tridentini Sess. 5. cap. 1. cit. aliter Grammatico, aliter Theologo de congrua sustentatione est prospectum; illi enim, quamdiu in docendi officio persisteret, vel simplicis beneficii fructus assignari, vel de Episcopalis aut Capitularis mensæ redditibus condigna merces persolvi, aut aliâ ratione prospici, Fagnanus l. cit. n. 20. Isti autem, sive Theologo præbenda quomodocunque, aliter quam per resignationem, primò vacatura, & aliud onus incompatible annexum non habens, perpetuò deputari justa est *cap. 1. cit. V. In Ecclesiis*; ut eâ obtentâ Magister Theologus evadat verus Canonicus: qui etiam Scholasticus vel Magister scholæ, Gonzalez in *c. Quia cit. n. 5.* præbenda verò illa Theologalis à DD. nuncupatur, Barbosa in *c. 1. cit. n. 12. & alleg. cit. n. 3.* Ubi

Dubium est, an ad præbendam hanc admitti ab Episcopo valeat Canonicus. Rationem dubitandi suggerit tenor laudati Concilii utriusque, cum Lateranense in Metropolitanis diocesi Theologum, *c. Quia nonnulli cit. Tridentinum au-*

num autem Lectorem Theologiæ, ad sacra Scripturæ interpretationem expositionemque idoneum, institui præcepit *cap. 1. cit.*

28. Sed textus isti apud Cardinalium istius Concilii Interpretum S. Congregationem vim non habuerunt impediendi, quò minus ad præbendam Theologalem etiam Canonistam admitti posse, ad dubium ab ipso Papa propositum, unanimi consensu declararet 2. Febr. 1626. Idem censuit Postea in una Polignan. 3. Decemb. 1639. in Osunenfi 10. Julii 1643. in Mazarenfi 12. April. 1651. & alibi, teste Pignatell Tom. 1. *Consult. 147. n. 1.* Quæ S. Congreg. declarationes nituntur eâ ratione; quòd *cit.* Conciliorum utrumque Theologi nomine etiam Canonistam denotet. Tridentinum; quia Magistrum Theologum exigit ad Theologiæ, & ipsius S. Scripturæ expositionem & interpretationem: dispositio autem de Theologia loquens in Theologia Morali & sacris Canonibus verificetur, Panormit. in c. fin. n. 2. Felinus in c. *Quia cit. n. 1.* Sylvester V. *Doct.* n. 5. & quæ de sacra Scriptura agit, sacros Canones comprehendat, Francus in c. *Cum de diversis 2. de Privileg. n. 4.* & Garcias p. 3. de *Benef. cap. 2. n. 64.* cum etiam sacri Canones, instigante Spiritu sanctò, editi sint ad Ecclesiæ utilitatem, can. *Violatores, 25. q. 1.* & ad directionem fidelium ad æternæ salutis consecutionem, juxta dicta in *Proamio n. 80.* Imò à Divino Jure, sive utriusque Testamenti tabulis dimanent, c. *Qualiter 24. pr. de Accusat.* eamque ob causam Jus divinum nuncupentur, c. *Cum de diversis cit.* Lateranense autem, in quod Tridentini PP. oculos intentos habuere, constitui præcipiat Theologum, qui Sacerdotes in sacra Pagina doceat. & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscun-

tur, c. *Quia cit. V. Sand:* in sacra Pagina autem docere, sive eas secundum legitimæ interpretationis Regulas exponere; non solum Speculativus, sed Moralis quoque Theologus & Canonista possit, Hostiens. & Joan. Andr. in c. 1. de *Consang. & affinit.* de iis etiam, quæ ad animarum curam in externo & interno sive conscientiæ foro gerendam pertinent, Sacerdotes informare iste præ aliis valeat; cum ad casuum in conscientiæ foro occurrentium resolutionem necessarias materias & Regulas plerasque & præcipuas suppeditent Apostolica Constitutiones ac Rescripta: uti & decreta Conciliorum, ut præter alios ostendunt per celebres duo sacra Theologiæ Doctores, Canus *Lib. 8. Loc. Theolog. cap. 6. & 7.* & Pignatell. *Consult. cit. n. 8.* qui propterea Jus Canonicum sacra istius Scientiæ portionem seu partem esse, aiunt, quam Theologiam Practicam nuncupant cum Sylvestro *cit. n. 5. in fine.* & Pelagio *Lib. 2. de Planctu Eccles. art. 20.*

29. Porro clericis, sacra Theologiæ docendæ causa ab Ecclesiis suis absentibus, concessit privilegium integræ perceptionis fructuum præbendarum & beneficiorum suorum, quamdiu illam publicè docuerint: quod ipsis à Concilio Lateranensi c. fin. *V. Docentes* indultum, & confirmatum à Tridentino *cap. 1. cit. V. Docentes*, cujus decreti utriusque dispositione Jus Canonicum publicè tradentes comprehendendi, eòdemque cum Theologis privilegiò istius Doctorem gaudere, cum Panormit. in c. *cit. n. 6.* Felino *ibid. n. 2.* & Interpp. aliis monent Sylvester V. *Rescripta n. 7.* Navarrus *Manual. cap. 2.* Barbosa in *cap. 1. cit. n. 46.* & à S. Congreg. declaratum, testis est Fagnan. in c. fin. *cit. n. 4.* Ratio autem ejus privilegii indulti fuit; quòd sacras illas Scientias ad clericorum & Scholarium aliorum instructionem tradendò, Ecclesiæ non minùs, imò

magis profint, quàm in loco beneficii residendò.

30. Excipiuntur tamen quotidianæ distributiones; has enim cujuscunque Scientiæ docendæ causâ à Divinis absentes non percipiunt, *arg. c. Licet 32. de Præb. & dignit.* nisi eas quoque ipsis alicubi permittat Ecclesiæ consuetudo, Moneta p. 2. *de Distribut. cap. 10. n. 28.* vel beneficiorum fructus omnes, aut major pars in distributionibus consistat; hoc enim casu, cum præbendarum locò succedant, ab iis, qui sacre alicujus Scientiæ docendæ causâ absunt, ipsæ quoque percipiuntur, secundum Glossam in c. *Licet cit. V. Distributiones*, Tholos. *de Benef. cap. 7. n. 12.* Garciam *cit. cap. 2. n. 351.* & Fagnanum in *c. cit. n. 3.* Easdem Canonico Theologo, non tantum horâ, sed totò die, quò legit, à Gregorio XIII. indultas, *Lib. 3. lit. 4. n. 49.* est dictum.

31. Ii etiam, qui sacras illas Scientias in scholis addiscendi causâ ab Ecclesiis suis absunt, beneficiorum suorum fructus integre percipere possunt ad quinquennium. *V. Docentes cit.* ad quod tempus hoc Scholarium privilegium restringendi ratio fuit; quòd intra ejus spatium in sacris illis facultatibus satis docti evadere posse, præsumerentur, Panormit. & Barbosa in *c. cit. n. 5.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 9.* Qua de re actum jam est *cit. Tit. 4. n. 33.*

ARTICULUS III.

De Pretii exactione pro Licentia & Officio docendi.

SUMMARIUM.

32. *Exactio hac jure illicita est.*

33. *Secundum aliquos propter labem Simoniam.*

34. *Verius ab hac ea est immunis:*

35. *Uti & pretij receptio pro docenda Scientia.*

36. *Etiã Theologia merè Naturalis.*

37. *Simoniacã est venditio Scientiæ Theologicæ à Deo infusa,*

38. *Et acquisita etiam, si ad supernaturalem:*

39. *Non etiam, si ad naturalem suam referatur.*

40. *Licitã est receptio pretij pro Consilio etiam Theologico:*

41. *Nisi hoc reddatur ad finem supernaturalem.*

EX iis, quæ de Magistri Grammaticæ stipendio, & Theologi præbenda deducta sunt, percipiuntur omnino est, quàm ab Ecclesiæ PP. sensu remota sit emolumentum temporalis exactio pro licentia docendi, sive sacram aliquam aut prophanam disciplinam tradendi facultate: pro qua, ne etiam consuetudinis prætextu exigatur pretium, pecunia quærat vel promittatur, *presenti Rubricã* eique subjectis textibus cavetur. Pro ratione c. *Prohibeas 2.* redditur illud Evangelicum, *Gratis accepistis gratis date*, Matth. *cap. 10. V. 8.* Contra quam prohibitionem, si quid acceptum est, restitui, *c. cit.* ejusque transgressores officiorum & quibus potiuntur, dignitatum ac beneficiorum Ecclesiasticorum ademptione puniri jubentur, *c. 1. & c. Quanto 3.* Unde

Dubium oritur, an exactio & receptio pretii pro licentia docendi Simoniacã sit. Ratio dubitandi in utramque partem non levis est; cum, ejus exactio nem habe infectam, non obscure indicent prohibitionis ratio & penæ transgressio- nis: quarum illa præcipue excludit Simoniam:

moniam: cuius reos etiam ista percipiunt. Accedit; quod, sicut dignitates & beneficia atque officia Ecclesiastica, sic etiam Magisterii & Doctoratus gradus in Theologia & Jure Canonico auctoritate Apostolica, quæ spiritualis est, instituti sint, eademque conferantur; ut, sicut illa, sic etiam isti Simonia materia, & pretio non æstimabiles, esse videantur. *Contra*

34. Exactionem pretii à labe illa esse immunem, ostendit praxis Collegiorum seu Facultatum Academicarum, à Doctoratus & Magisterii candidatis pecuniam & quod gradus majores sunt ac digniores, majorem illius quantitatem aliisque emolumenta temporalia exposcentium, juxta taxas à majoribus acceptas usive approbatas. Quam praxim non solum labe vacare, sed consentaneam æquitati esse cum Lessio *Lib. 2. de J. & J. cap. 35. n. 83.* Suarez *de Simonia cap. 18. n. 15.* & Palao *Tract. 17. disp. 3. p. 10. n. 4.* & aliis docent Mendo *de Jure Academ. Lib. 2. à n. 94.* & Gonzalez *in c. Quia nonnullis 4. n. 6. in fine*: idque jure optimò; quia Collegia illa pecuniam non exigunt aut recipiunt pro docendi facultate; cum hanc Principes ac Magistratus, ferèque Seculares, non ipsa Collegia Academica concedant: sed pro incommoditate & labore, quem subeunt candidatos examinandò approbandoque, & approbatis in ipsa inaugurationis solemnitate assistendò: uti & pro honore, emolumentis temporalibus, & communicatione privilegiorum, quæ promoti per Gradus & quò isti majores sunt, majora consequuntur.

35. Pro ipsa autem docendi licentia pecuniæ quidem exactio receptioque *presenti Rubricâ & c.* ei subiectis merito interdicta est; cum utique turpe lucrum & sordities sit, à viris doctis aliquid extorquere pro facultate docendi honestas & Reipublicæ salutare disciplinas: ad quas

tradendas muneribus, honoribus, precibus eos invitari oporteret, Palao *cit. p. 10. n. 3.* & Gonzalez *cit. n. 6.* à Simonia tamen labe eam esse immunem, cum *cit. Lessio n. 82.* & Suarez *n. 19.* docent Barbosa *in c. Prohibemus 2. n. 1.* Gonzalez *cit. n. 6.* & Wagnereck *in Exegeti c. 1. not. 1.* quòd ejusmodi licentiæ concessio & ut paulò post statuatur, ipsa etiam doctrinæ traditio res sacra vel jurisdictionis aut potestatis Ecclesiasticæ actus, & materia Simonia non sint.

Neque, licentiam illam Simonia materiam semper esse, satis probat interventus Apostolicæ auctoritatis; quia ista etiam temporalia quædam conferri possunt, ad utilitatem ac splendorem spiritualium; quin his ita annexa censentur; ut materia sint Simonia: nisi specialiter prohibeantur intuitu Religionis: quòd neque in Literariis gradibus, neque in docendi licentia fit, *cit. Suarez n. 15 in fine, Palao n. 3.* & Mendo *n. 96.*

Majus dubium, quàm de licentia docendi, est de ipsa doctrina sive actu traditionis Scientiæ. Non quidem merè Naturalis, puta Juris Civilis, Medicinæ, Philosophiæ artiumque Liberalium; cum istarum neque explicatio, neque notitia ipsa aliquid spirituale, aut huic annexum sint; ut eas vendi Religio non permittat. Sed SS. Theologiæ aut alteri huic affinis: cuius venditionem, sive pecuniæ pro ejus explicatione receptionem promissionemque Simonia accusant Paludan *in 4. diff. 35. q. 5.* & Sylvester *V. Simonia, q. 10. contra Lessium cit. cap. 35. n. 8.* eam à labe illa excusantem cum Glossa *in can. De quibusdam 11. V. Magistros, dist. 37.* & Soto *Lib. 9. de Just. q. 1. art. 1.* Quorum Opinionum, si non Assertores reduci in concordiam, utriusque tamen aliquid tribui potest beneficiò distinctionis inter casus diversos.

36. Primò enim, Theologiæ merè naturalis sive Scientiæ de Deo, ut est autor Naturæ, eadem, quæ cæterarum merè naturalium disciplinarum ratio; ac proinde, sicut istarum, sic etiam illius venditio à Simonix labe est immunis; cum neque huiusmodi de Deo scientia, neque eam tradendi actus sint aliquid spirituale sive supernaturale, Sanchez *Lib. 2. Consil. cap. 3. dub. 5. n. 1.* & Mendo *de Jure Acad. Lib. 2. n. 101.*
37. Secundo, SS, Theologiæ, sive scientiæ Divinæ ad intelligendas & interpretatione declarandas veritates sacræ Scripturæ à Deo infusæ venditio, sive pro pretio communicatio apertè Simoniacæ est; cum sit donum Spiritus sancti, quod in sacris literis vocatur *Interpretatio sermonum*, & ex fine suo ad generandam Dei rerumque supernaturalium cognitionem amorèque, & ad spirituale animæ salutem ordinatur, Sanchez *cit. n. 1.* & Mendo *n. 102.*
38. Tertio, ob eandem rationem Simoniacæ est exactio pretii vel alterius rei temporalis pro scientia & doctrina Theologica acquisita quidem, sed ordinata ad instruendos infideles, hæreticos erroris convincendos, & fidelium animos ad amorem & cultum Dei, ad conversionem à peccatis excitandos, eorumque conscientias à scrupulis liberandas, ut à Concionatoribus, Catechistis & Confessariis solet, S. Thomas *2. 2. q. 100. art. 3. citr.* Lessius *n. 19.* Suarez *cap. 18. n. 22.* Palao *p. 10. n. 7.* & Mendo *n. 104.*
39. Quarto, pro doctrina Theologica, tam Morali quàm Speculativa, & pro sacrorum Canonum interpretatione & exercitationibus ex iisdem, ad illustrandum intellectum aut memoriam juvandam institutis, ut in Scholis Professores solent, pretium accipi absque Simonix vitio posse, cum Glossa *in can. Vendentes 10. V. Debitum, 1. q. 3.* & Soto *Lib. 9. de*
- Iustitia q. 5. art. 1.* verisimilius defendunt *citr. Sanchez n. 3. Suarez cap. 18. n. 7. Lessius n. 8. Palao n. 2. & Mendo n. 103.* Ratio est; quia talis doctrina supernaturalis non est ratione principij; cum in isto non necessario supponat Fidem supernaturalem: & discursus Theologicos formare etiam hæreticus, & voluntariè in Fide dubius possit: neque etiam ratione finis; cum perinde ferè, ut aliarum Scientiarum traditio, ad instruendum tantum aut exercendum Auditorum intellectum ordinetur.
- Neque, doctrinæ illius venditionem esse Simoniacam, evincit; quòd supernaturales & à Deo revelatas veritates præsupponat; quia ab his non nisi remotè procedit, atque ab earum fide non necessario pendet: & quatenus ex veritatibus revelatis conclusionem Theologicam deducit, actus naturalis est, & naturali modò influit in Auditores.
- Quintò, simili modò Simoniacæ non est exactio pretii pro Consilio, seu Responso non solum Medico & Juridico, sed Theologico quoque & Canonico, redditò ad solum intellectum, propositæ dubitationis resolutione, istiusque rationibus deductis, illustrandum, ut cum S. Thoma *cit. art. 3.* defendunt laudati Navarrus *Manual. cap. 23. n. 10.* Suarez *cap. 18. à n. 19.* & Palao *p. 10. n. 5.* Ratio est; quia huiusmodi responsum est actus naturalis, quò scientia, humanà industriâ acquisita, per modum humani magisterii ad finem naturalem, scilicet ad intellectum veritatis moralis cognitione erudiendum communicatur. Neque refert; quòd interrogans eò aliquando ad dirigendam & parandam conscientiam utatur; quia istius intentio non mutat naturam actionis sive responsi, quod ex se ad intellectum veritatis cognitione erudiendum ordinatur.

Aliud

41. Aliud esset, si responsum ad Pagani conversionem vel alicujus hæretici ad Ecclesiæ gremium, reductionem, ad timorem & amorem Dei, ad odium peccatorum, fluxarum rerum contemptum, ad virtutis & salutis studium excitandum redderetur; cum enim tale responsum sit actio spiritalis, & ex fine suo supernaturalis, utique materia Simonix ejusque perinde, ut prædicationis verbi Divini, piæ exhortationis venditio labe infecta foret, ex mente DD. cit.



TITVLVS VI.

De Judæis & Sarracenis, eorúmque Servis.

SUMMARIUM.

- | | |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. Infidelitas aduersatur Religioni. 2. Dividitur in Paganismum, Judæismum & Hæresim, 3. Atheismum & Apostasiam includentes. 4. Cum Paganis & Judæis verita est communicatio in Divinis. 5. Judæorum tamen Synagoga & ritus tolerantur. 6. Non etiam phana & sacrificia Paganorum. 7. Christiani prohibentur Judæis cohabitare, 8. Communi balneo, eorúmque medicinis uti, 9. Cum ipsis instituerent convivium, 10. Ipsi in suis adibus (non extra istas) famulari, 11. Et famulis domesticis uti. 12. Christiani sub Judæorum potestate dominica relinquuntur, 13. Eorúmque jurisdictioni subiecti non debent. | <ol style="list-style-type: none"> 14. Ipsò tamen Jure à neutra potestate liberantur. 15. Judæis testamentò aliquid relinquere non potest. 16. Censura lata in eos, qui commercium, arma &c. 17. Et, belli tempore, quasvis merces deserunt ad infideles. 18. Hos ad fidem directè cogi posse, assertentium, 19. Et negantium verior Opinio: 20. Eisi cogi ad eam valeant indirectè. |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

Religioni non minus, imò multò magis, quàm Simonia aduersantur peccata Infidelitatis; cum his veri cultus Divini ipsa fundamenta convellantur. Est autem Infidelitas triplex: Paganismus, Judæismus & Hæresis, quarum postrema hæc ad proximè sequentem: priores duæ species ad præsentem Rubricam sunt declarandæ.

Paganismus est Error vel Secta repugnans Fidei scriptæ, sive negans mysteria & veritates, tam in veteri, quàm in

L novo